

Ex haftenus ergò dictis patet latitudo subiecti catarrhorum: non ex uno tantum fonte, capite sc. illos scaturire, sed, uti quodvis membrum lymphâ & glandulis dotatum est; ita quodvis suum habere caput & fontem defluxionis, vid. *Stenon. de musc. & gland. p. 50.* Non immorabor hîc antiquitatis commentis de catarrhorum generatione, cum ab *Helmontio* primum sub titulo *deliramentorum catarrhi*, hinc & aliis abundè sint explosa. Vid. *Excell. Bobnis elegantiss. Diss. de Catarrhis.* Istud autem meretur trutinari, utrum nullus planè defluxus à capite ad subiectas partes sit concedendus? Quod quanquam Galenismum sapere videatur Helmontianis, & operosè refutatum sit ab *Excellentiss. Schneidero in Volum. de Catarrhis*; nondum tamen exaruisse videntur omnes septem *Hippocratis* Catarrhi, quos *l. de gland. t. 8.* allegat. Pro *Divino Sene* loquuntur *Bataviæ* ista Sidera, *Celeberrimi Sylvius prax. l. 1. c. 27. §. 29.* & *Barbetti Prax. l. 1. c. 4.* Nec forsan immeritò. Cum enim in glanduloso cerebro, tanquam spirituum & lymphæ officina, magna indies sequestratio fiat, nec viæ inviæ sint, ipsum etiam externum caput infinitis ferè glandulis & lymphaticis obsitum sit, quidni & tales ab his defluxiones admittendas omninò censeamus? Favent asserto cerebri & reliquarum capitis glandularum, parotidum sc. maxillarium, jugularium & c. gyrum *Bilsianum* constituenta lymphatica, per quæ catarrhalem lympham in sanguinem à *Sponis* illabi, hinc circulationis beneficio ad dextrum cordis ventriculum per adscendentem cavam, inde ad pulmones translata, cum pro alimento apponi nequeat & copiosior affluerit, multorum in thorace morborum fomentum fieri posse, clarè elucet. Vid. eleganter hanc in rem differentem *Jac. Henr. Pauli in anat. anat. Bils. c. 8.* Et si cum sanguine effunduntur catarrhi, ut quidem vult laudatus *Schneiderus*, quidni cum eo etiam à capite provenient? Vias ex cerebro ad palatum & nares satis probat porositas ossium cranii, quæ cribrorum instar pertusa esse, autopsia docet. Sed cur non uno solido osse ferruminasset natura hunc aditum, si præclusum esse eundem voluisset? Quid, quod processus seu tubuli cavernosi à durâ matre per ossis cribriformis foramina ad nares dispersi sunt, quibus immissum stylum per